Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8336
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



95

et ego iam conceptus eram: necdum fontes aquarum eruperant:
necdum montes graui mole constiterant. Ante colles ego parturiebar. Adhuc terram non fecerat et flumina: et cardines orbis terre. Quando preparabat celos aderam: quando certa lege et gyro uallabat abyssos: quando ethera firmabat sursum: et librabat fontes aquarum: quando circudabat mari terminum suum. et legem ponebat aquis ne transirent fines suos. Quando appendebat fundamenta terre. cum eo eram cuncta componens: et delectabar per singulos dies. Ludens coram eo omni tempore: ludens in orbe terrarum: et deliciae meae esse cum filiis hominum. Nunc ergo filii audite me. Beati qui custodiunt uias meas. Audite disciplinam et estote sapientes: et nolite abicere eam. Beatus homo qui audit me: qui uigilat ad foores meas cotidie et obseruat ad postes ostii mei. Qui me inuenerit: inueniet uitam. et hauriet salutem a domino.

Sc o Sathm

Liber generacionis iesu xpi filii dauid: filii abraham. Abraham genuit ysaac: ysaac autem genuit iacob. Iacob autem genuit iudam et fratres eius: iudas autem genuit phares et zara de thamar: Phares autem genuit esron: Esron autem genuit aram. Aram autem genuit aminadab: aminadab autem genuit naasson. Naasson autem genuit salmon: salmon autem genuit boz de rahab. Boz autem genuit obed ex ruth: obed autem genuit iesse. Iesse autem genuit dauid regem: dauid autem rex genuit salemonem ex ea que fuit urie. Salemon autem genuit roboam: roboam autem genuit abia: Abia autem genuit asa: asa autem genuit iosaphat. Iosaphat autem genuit iora: joram autem genuit oziam. Ozias autem genuit ioatham: ioatham autem genuit achaz. Achaz autem genuit ezechiam: ezechias autem genuit manasseen. Manasses autem genuit ammon: amon autem genuit iosia. Iosias autem genuit iechoniam et fratres eius: in transmigracione babylonis. Et post transmigracionem babylonis: iechonias genuit salathiel. Salathiel autem genuit zorobabel: zorobabel autem genuit